DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE SYNCOPE.

QUAM

ANNUENTE DEO OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris

D. CAROLI DRELINCURTII,

Regii olim in Galliis Medici, nunc verò in hac Univerſitate Profeſſorum Antiquiſſimi,

NECNON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

HUBERTUS DEKKERS, Lugd-Bat.

Ad diem 28. *Iunii, horis locoque ſolitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,

Academiæ Typographum. M DC XCIV.

VIRO *Graviſſimo*,

D. D. FREDERICO DEKKERS, Medecinæ Doctori, apud Lugdunenſes Practico Feliciſſimo, Parenti Optimo.

Omni virtute ac Pietate conſpicuo

VIRO

D. D. ISAACO BRAYNE, Apud Amſtelodamenſes Mercatori Celeberrimo, plurimum honorando, Conſanguineorum Antiquiſſimo; omni obſervantiâ, qua decet, proſequendo.

NEC NON

Conſultiſſimis, Excellentiſſimis, Clariſſimis, omni Experientiâ, Eruditione, ac Doctrinâ Conſpicuis VIRIS, *in ſtudiis optimè de me meritis, Paterno ſemper honore colendis*,

D. D. CAROLO DRELINCURTIO, Philoſ. & Med. Doctori, Regio olim in Galliis Medico, nunc vero in hac Univerſitate Profeſſorum Antiquiſſimo, Medicinæ Practicæ & Anatomes nuper Profeſſori Expertiſſimo, Eruditiſſimo, Magnifico Rectori Conſultiſſimo.

D. D PAULO HERMAN, Philoſ. & Med. Doctori, in Illuſtri hacce Academiâ Lugduno-Batavâ Botanices Profeſſori Sagaciſſimo, Solertiſſimo.

D. D. GODOFRIDO BIDLOO, Med. Doctori, & Palladis hujus Anatomiæ Profeſſori peritiſſimo, Anatomicorum longe Dexterrimo, Promotori ſuo plurimum honorando, venerando, Collegii Chirurgici Præſidi digniſſimo.

Theſes Haſce, ut & ſe ipſum humillime offert

HUBERTUS DEKKERS,
Auctor.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

SYNCOPE.

§. 1.

DIu dubius quemnam eligerem Affectum hærens, huncce morbum, à paucis, ut video, hactenus ventilatum, explicandum ſuſcepi; Affectum jure merito graviſſimum imò miratu digniſſimum, reſpectu cauſarum non tantum illum inducentium, ſed & rationi aliquandò quaſi contrariarum.

§. 2.

Antequam verò eum aggrediar, paucis, undè originem traxerit, dicendum;

Vocabulum hocce Græcum συγκοπὴ à κόπτειν ſcindere (quaſi diceretur omnium virium ſimul reſectio) originem habet.

Hocce malum Hippocrati, Multiſque ex Antiquis quidem notum, minimè verò vocabulum συγκοπὴ apud Eos in uſu, paulò verò antè Galeni tempora fuiſſe inventum D. Sennertus, L. Riverius, pluresque teſtantur Medici.

Affectum Illis haud latuiſſe liquet, quoniam animi deliquium Ejuſque ſpecies deſcripturi, ſummam & graviſſimam, ἀσφυξίαν nominarunt, quæ mihi hujus explicandi mali primarium erit ſignum diagnoſticum, u tex ſequentibus patebit.

§. 3.

Ne in Animi deliquiorum ſpeciebus explicandis ulla oriretur confuſio, Eas variare ſolum modò ſecundum magis & minus, aſſero, putoque; ſic ἔκλυσις Virium Languor & membrorum ſolutio; Sic λειποθυμία, Animi deliquium & virium languor, major tamen quam in ἐκλύσει dicitur; Sic Hippocrates Aphor. 8. ſect. 7. diſtinguit ἔκλυσιν à λειποθυμία, a Syncope differt ergò quoque Poſtrema; quod in *eâ ſenſus, viſus, auditusque quodammodò vigeant, nec in paroxyſmo ſudor oriatur frigidus*, uti Galenus lib. ad Glauconem cap. 14. & Aëtius affirmant.

§. 4.

Ut ergò ad propoſitum redeam, *Syncopen, motuum omnium ſenſuumque externorum & internorum, imò quod ad tactum, cordis totali cum abolitione, ab influxu ſpirituum denegato, ſudore conjuncto frigido, faciei ac membrorum omnium livore & frigore, animi deliquium ſummum ac ſubitaneum eſſe virium lapſum*, libenter cum Galeno profiteor.

V. Hu-

Hujus Mali Symptomata paucis explicare, haud inconcinnum arbitror; Motus ergò omnis aboletur, excepto cordis debiliſſimo, quia in totum ferè impeditur ſpirituum influxus; minimè namque puto cordis motum in totum eſſe abolitum, licet tactu ſentiri nequeat; Hominem enim ſine cordis ſanguiniſque motu, conſequenter abſque ſpirituum generatione vivere, mihi videtur impoſſibile; quod ceſſante circulatione, ſanguis tum temporis caloris expers, ſtatim coagularetur, (qui tantum à ſanguinis circulatione deducendus, non enim hic agnoſco Calidum in corde innatum, quo mediante (pulſu pro tempore abolito,) Mortalis unquam poſſet eſſe ſuperſtes, quoniam calidius aliis noſtri corporis partibus ſemper foret hocce viſcus, quod neutiquam videre ulli contigit.) Miratus fui obſervationem Viri cujuſd. Celeberrimi (dicentis, ſe obſervaſſe in Vetulâ, pulſum planè fuiſſe abolitum per tres antè mortem dies, loquelâ illis diebus ſuperſtite) attamen (quod ſalvo hujus Viri honore dixerim,) pulſus adeſſe debuit, licet tactu ſentiri nequiret; ſi enim per tres dies cordis motus καὶ τȣ̃ ἅιματος περιοδὸς fuiſſet abolitus, & idcircò per totum illum temporis tractum nulli omninò ſpiritus in cerebro ſecerni potuerint, ergò per triduum loquela, quæ ſine ſpirituum in nervos cæteraſque loquelæ inſervientes partes influxu nunquam peragitur, ſuperſtes eſſe nequit.

Cordis ergò motum non in totum abolêri concludo, licet tactu ſentiri nequeat; abolito enim hocce motu, non Syncope, ſed potiùs mors nominarier liceret.

Verum enim verò rogare quiſpiam pôſſet, cur motus ſit ſuperſtes, omni verò præter hunc abolito? reſp. dum aliqui ſpiritus adhucdum generantur, nec apti

nati ſint ad alias corporis partes majores imò & eas, quæ majori ſpirituum copiâ indigent, movendas, movetur Cor, quod muſculo Antagoniſtâ minimè hoc viſcus gaudeat.

§. 6.

Si illorum opinio (*reſpirationem hoc in affectu nullo modo læſam, pulſum tamen eſſe abolitum*, qui autumant) ritè perpendatur, nequaquam veritati convenire arbitror; illorum namque ſecundum opinionem ſpirituum influxus adeò impeditur, ut in unum duntaxat Muſculum Antagoniſtâ minimè gaudentem influere nequeat; undè quæſo? reſpiratio tum erit deducenda, quæ adhucdum illæſa vigêret, deficientibus ſpiritibus? Spirituum enim ſine notabili influxu in omnia reſpirationi inſervientia organa, reſpiratio haud benè ſuccedit, ritè ergò mihi cum Viro illo Celeberrimo Franc: De Le boë Sylvio, *in Syncope abolitam, in Leipothymiâ juſtò minorem, in Ecluſi læſam eſſe reſpirationem*, concludere licet.

Sollicitus hic ne ſit quiſpiam; Vitam Humanam Reſpiratione pro tempore abolitâ ſuperſtitem eſſe poſſe, non tantum ex fœtu in utero aquis innatante ſatis liquet, ſed & ex illis, qui in aquam incidentes fundum petunt, ac ibidem vitâ ſuperſtite aliquandò diutius morantur; ut mihi vidêre contigit in Virgine quâdam, quæ per horæ quadrantem aquis ſubmerſa, ſtatim poſt emerſionem alacriter loquebatur; Reſpirationem ſub aquis viguiſſe quis affirmaret? hâc enim illæſâ pulmones aquis fuiſſent oppleti, ac mox vitam cum morte commutaſſet; verum in aquam incidentem animi deliquio fuiſſe correptam, cenſeo, quod, ſe ſomno quaſi fuiſſe obnubilatam, teſtabatur.

§. 7.

Reſtat ergò Explicandus ſudor ille frigidus cum livore

vore & frigore faciei cæterorumque membrorum; qui meo judicio deducendus foret à nimio ſanguinis motu, ſecundum Auctores & omnes ferè Practicos paroxyſmum ſemper præcedente; motu enim aucto, ſecretiones ferè omnium humorum augentur, & calor oboritur; verum inſtante tum temporis jam jam Paroxyſmo, *ſudor* in corporis partibus extremis hærens, mox ab aëre ambiente & circulatione ſanguinis ferè abolitâ (quod, illâ privatâ ſecretiones privantur, nec ſudor à particulis liquidis ſecuturis, illumque conſtituentibus, non amplius foveatur, augeaturve) viſcidior fit, & quodammodò coagulatus frigidus evadit.

Eandem ob rationem nempè cordis motum ferè abolitum, livent & frigent membra; calorem enim à ſanguinis circulatione auctâ oriri, conſequenter ab ejus diminutione omnia frigefieri, demonſtravimus.

§. 8.

Ne longis jam ambagibus à tramite propoſito aberrem, ut cauſas malum hocce producentes inquiram, operæ prætium erit.

Ex omnibus igitur prædictis patet, *ſpirituum influxum denegatum* quam maximè eſſe in causâ; & ut in tam vaſtâ fontium omnium ſerie aliquem ſeligamus ordinem, denegari poſſe Spirituum influxum animalium dico 1°. quidem ratione Sanguinis tanquam materiæ & fontis undè generantur Spiritus, ejuſque malæ diſpoſitionis; quæ diverſa hoc in affectu eſſe poteſt; uti 1°. nimia ejus Viſcoſitas, craſſities & aquoſitas hocce malum inducere valent; uti Melancholicis, qui ſanguinem habent juſto modo craſſiorem & viſcidiorem; Hydropicis, Senioribus & debilioribus, ſanguineâ maſſâ juſto modo Aquoſiore & minus Spirituosâ gaudentibus; hoc, vel ſimilia mala quam ſæpius

pius evenire videmus; Sanguis enim arterioſus nimiâ ſuâ viſciditate, craſſitie, ſubſtantiæ cerebri corticalis tubulos obſtruens, potius quam ingrediens; Sanguis verò Aquoſior, minus ergo ſpirituoſus, naturali ſuâ *volatilitate nec viribus* præditus, ſed potius *aquoſus* & omnibus dictis viribus orbatus, nervis, muſculis, tendinibuſque laxioribus redditis, virium languorem & accreſcentibus hiſce ſanguinis malis ſæpius Syncopen inducunt.

Nimia ejus aciditas naturalem ejus tenuitatem condenſans quaſi & coagulans, ut ſpiritus exindè generari nequeant, hujus mali erit ſcaturigo; omnibus hiſce nominatis ejus vitiis accedit quoque glutinoſitas, quæ cordis polypi non rarò cauſa exiſtit, undè in motu ſuo diminutus, ſuâ naturali raritate orbatur.

E contrario ſanguinem fluidorem in febribus ardentibus nimio ſuo motu ſecum rapientem omnes particulas nutritioni inſervientes, vices perſpiratarum ſuppleturas, & venenatam ejus conſtitutionem in peſte, Febribus peſtilentialibus, variolis & morbillis, omnibuſque Febribus Malignis, Syncopes & deliquiorum animi cauſas eſſe, liquet.

Huc pertinent omnium generum Venena, quæ maſſam ſanguineam vel coagulantia, vel nimis rarefacientia corrumpunt, vel aëre attracta aut morſu venenatorum Animantium aliove modo corpori communicata, in pulmones & ſanguinem deferuntur.

Sanguinis, deinceps ſpirituum defectus, è nimiâ ejus extravaſatione, per vulnera, ulcera, hæmorrhagias nimias & frequentes non tantum, ſed & etiam ſpirituum per nervos reſectos, tumoremve infantum in ſpinâ dorſi duplici quaſi, cum ventriculis cerebri commu-

mu-

munionem habentem improvidè apertum; per Venerem nimiam (tanquam primariam etiam cauſam) ortus, malum hocce quam ſæpiſſimè inducit; deficiente enim materiâ, deficiunt Spiritus, illis deficientibus, corporis actiones peragi nequeunt, undè tandem ipſa Mors.

E contrario Sanguinis ex abundantiâ i. e. Plethorâ hujus mali erit origo; vaſis enim ſanguineis plus æquo diſtentis, cerebrum juſto haud modo comprimitur, ut impediatur vel ſpirituum generatio vel illorum ſufficiens influxus.

§. 9.

Denegari poſſe Spirituum influxum, 2°. ratione generationis læſæ, quatenus pauciſſimi generantur ſpiritus, ad alias corporis actiones præter cordis debiliſſimum motum peragendas inepti; talis namque læſio deducenda foret à frigidâ cerebri intemperie, in quâ imprimis peccante pituitâ viſcidâ vel coagulatâ & per frigus condenſatâ tubuli cerebri vel nervorum orificia obſtruuntur, vel ſuâ gravitate cerebri vel cerebelli ſubſtantiam nimis comprimente, influxus eorum denegatur. Sic immoderata aquarum in cerebro collectio, ſanguinem in ſuo motu, deinceps Spirituum generationem impediens (uti in Hydrocephalis) Sic ſanguis in cerebro extravaſatus, coagulatus, lympha condenſata, pus juſto modo craſſius, vel in nimiâ quantitate, abſceſſu nempè cerebri rupto, in eo contentum, hujus læſionis plerumque cauſæ exiſtunt.

§. 10.

Ne Organorum obliviſcar vitia, quorum quidem affectus generationi impedimento ſunt; ſubſtantia cerebri vel cerebelli plus nimio compacta, earumque partium inflammatio & abſceſſus, inflicta vulnera, cal-

variam ejuſve partes cerebri ſubſtantiam comprimentes, in cauſâ ſunt. Cor ſi ſit inflammatum, vel abſceſſu vel ulcere laboret, vulnera huic viſceri inflicta, & imprimis ſi nervus major læſus ſit vel cordis fibræ muſculares tranſverſim ſi ſint reſectæ, hujus mali erunt fontes, & ut verbo dixerim, omnes graves ſolutæ unitates, quæ ſi ſint paulò graviores, à Syncope ad vitam nullus datur regreſſus, ſed hominem jugulant, ut Sennertus lib. 2. praxeos cap. VI. part. IV. de Syncope narrat.

§. 11.

Spiritus verò ſufficientes generati diſſipari vel abſumi poſſunt, nimio nempè calore, vigiliis protractis, exercitiis validioribus, ſudore copioſiſſimo & nimio, febribus ardentibus & ſimilibus; ut ex omnibus illis enarratis perſpiratio corporis evadat juſtò major; imprimis, ubi omnibus illis dictis tum temporis accedat inædia; continuâ enim perſpiratione, ſpiritibus conſumptis, totidem de novo non generantur ſpiritus, quot quidem abſumuntur; hinc omni dubio procul hominem ſummis animi deliquiis, & tandem Syncope eo tempore corripi, nemo, uti opinor, inficias ibit. Præſertim etiam evacuationibus immodicis, non tantum ſanguinis & ſpirituum, ut in §. 8°. dixi, ſed & etiam aquarum ſub cute vel ex aliâ corporis parte, abdomine nempè vel thorace *confertim* factis; *ex abſceſſuum apertione, tuberculorum intus ruptione, exſolutionem, vomitum & animi deliquium accidere*, Hippocrates ſect. vij. aph. 8. affirmat.

Narcoticis nimiâ in quantitate adhibitis, nimiâ ventriculi ciborum vel potuum, & præſertim generoſiorum repletione, ineptiores vel tardiores redduntur ſpiritus; animi pathematibus ſubitaneis, gaudio vel conſterna-

ſternatione; *flatibus, vaporibus & halitibus in corpore generatis vel extrà communicatis ſuffocari vel obrui ſpiritus* teſtatur D. Sennertus. Omnes morbos ſoporoſos, Atrophias, Tabes, Phthyſes, Febres Hecticas, Scorbutum graviſſimum, Luem Veneream, Hydropem, Menſium obſtructionem & remoram diuturniorem, partum difficilem, pluresque morbos graviores, doloreſque acutiores hujus Affectus ſæpius eſſe ſcaturigines plurimi teſtantur experientiâ edocti Medici; & ut brevitati conſulam, alias porrò cauſas apud Illos quærendas prætereo; quoniam enim nullus dubito, quin præcipuos, tam proximos quam remotos nominaverim fontes, ad diagnoſin idcircò me conferam.

§. 12.

Antequam verò illam aggrediar, prius monendum duxi, quinam homines hoc malo præ aliis afficiantur, quænamque ſigna hunc affectum ſemper præcedant; Homines ergò melancholicos, ut §. 8. jam demonſtratum, *ſplenicos & rarioris texturæ, à nativitate vel morbo prævio vel chronico debiliores, mulieres quoque potius quam Viros, imprimis in utero gerentes, menſtrua & quidem copioſa patientes, Virgines, ſyncope magis affici*, haud negat Riverius. Idem ille Auctor cum D. Sennerto ſigna hoc malum præcedentia quia accuratiſſimè deſcribit, Illum L. B. adeat; verum ambo *in Leipothymiâ ſemper præcedente Syncopen non raro ſudorem prorumpere frigidum*, affirmant; verum cum Aëtio & Galeno *ſudorem illum, non niſi in Syncope adeſſe* arbitror, ut §. 4. abundè probavi; Imminentem enim prævidere, hoc opus, hic labor.

§. 13.

Præſentem verò ab aliis huic malo ſimillimis mor-

bis diſtinguere Medico admodum neceſſe : Hic enim pulſus, reſpiratio, ſenſus internus externuſque ac motus omnis planè videtur abolitus, circà tempora, collum, nares, &c. ſudor obſervatur frigidus, ora pallor albus inficit, livent frigentque extrema, & morti omninò proximus videtur æger.

In Apoplexiâ verò omnia commemorata ſæpius occurrunt ſigna, niſi quod reſpiratio obſervetur læſa cum ſtertore, pulſus quodammodò licet læſus, ſæpius tamen fortis plenuſque. Sudor frigidus nec faciei tantus conſpicitur pallor, ac venæ magis apparent turgidæ. In Paſſione verò Hyſtericâ ſummâ, color juxtà Auctores ferè naturalis, & flatibus, ructibus ac borborygmis ſemper Paroxyſmi fit ſolutio, nec cætera in Syncope adeò gravia dicta ſunt ſymptomata.

§. 14.

Omnium jam commemoratorum fontium cauſarumve ſigna in *Syncope* h. e. ipſo in paroxyſmo dignoſcere experti foret Medici; verumtamen ex ſymptomatibus concomitantibus & adſtantium ore dicta reſponſaque animo perpendens, & quâ ex cauſâ, quove affectu anteà laboraverit æger, haud difficulter concludere valet Medicus; Sic ergò, ſi melancholicus ſummus, ſanguinem viſcidiorem; Si provectioris ætatis vel Hydropicus; juſtò Aquoſiorem & ſpiritibus orbatum; Si acidioribus, eſculentis potulentiſve plus ſolitò deditus, magis incraſſatum; Cordis Palpitatione anteà ſæpius ſi vexatus, *Cordis polypum* adeſſe jure merito ſuſpicarier quid vetat? Si vero à peſte, febri peſtilentiali, acutâ, variolis aut morbillis affectus, & horum dubio procul adeſſent Symptomata; Si verò à morſu hujus illiuſve animalis rabidi vel ferocis, inflictum vulnus; ab extravaſatione ſanguinis

nis autem, ſi ortum duxerit, vulnera vel Hæmorrhagiæ per ſe paterent; Plethora vaſa ſanguinea (licet ipſo in paroxyſmo) admodum diſtendens ipſa ἀυτοψίᾳ conſtat; verùm frigidæ cerebri intemperiei vix aut ne vix quidem eo momento occurrunt ſigna; Sic quoque vulnera Capiti inflicta, ſanguinem extravaſatum vel grumefactum vel *oſſa* cerebri meninges *comprimentia*, irritantia vel acumine lædentia, vel ex delirio ac febri continuâ &c. mox anſam ulterius inquirendi Medico præbent; Exercitia ſi fuerint validiora, vel inædiâ ſimul laboraſſet hoc malo correptus, quis de ſpirituum dubitaret defectu; Gaudium, terror, vel ſubitaneus mœror, ſi fuerint in cauſâ, ex adſtantibus aut Amicorum relatione Medicus mox certus eſſe poſſet.

Ab aliis verò morbis, in §. 11. memoratis, ortum ſi trahat malum, vel externè apparet, vel noſtro judicio planè in Medicinâ videretur hoſpes, qui dicto modo cauſam dignoſcere nequiret.

Verum enim verò de omnibus his nominatis ſignis, paroxyſmo ſoluto, ex ægrotantis ore &c. certior poſſet eſſe Medicus, qui vel à limite ſaltem Medicinam ſalutaverit; verum ſi plura legere quis conaretur, ad toties commemoratos ſe conferat Auctores.

§. 15.

Si omnia in Diagnoſi dicta perpendantur, quibus non hoc malum omnium morborum videbitur periculoſiſſimum? imò ullum in praxi omnium nemo novit morbum, morti illo propiorem, qui ſæpiſſimè Hominem ſine paroxyſmi ſuffocat ſolutione, juxtà illud, *Syncope de medio tollit*.

Verum varias ſecundum cauſas Syncopen producentes varianda erit Prognoſis; in Peſte, febribus peſtilentialibus, variolis & morbillis, ſi obveniat, omni-

nò lethalem & morti proximam denotat; idem judicato, ſi ab alio veneno corpori communicato (viribus jam ſublatis) ortum ducat; à vulnere cordi vel capiti inflicto, certò certius erit periculoſiſſimum; phthyſi, tabe, ſcorbuto, lue venereâ & ſimilibus citatis morbis laborantes hocce Malo affecti, in mortis verſantur agone.

Si verò à Melancholiâ, ſenectute, cordis polypo, vel ſanguinis ab acido coagulatione, ſpirituum defectu ſanguiniſve ab extravaſatione & Hæmorrhagiâ nimiâ, frigidâ cerebri Intemperie, Inædiâ & vigiliis protractis cum ſudore nimio animi pathemate ſubitaneo, ex opiatis (nimis largâ manu debilibus exhibitis) correpti, de vitâ periclitantur; ſed tamen ſæpius eo tempore ſolvitur paroxyſmus; & ut cum Hippocratis Aphoriſmo 41. ſect. 2. finiam: *qui ſæpè & ſine manifeſtâ cauſâ linquuntur animo, illi repentè moriuntur.*

§. 16.

Uti Eventus ſic quoque Curatio; citius plerumque Patiens extinguitur, quam accerſitur Medicus; ſi tamen ad Ægrum Syncope correptum acceſſerit, à paroxyſmo ſtatim ut excitetur ac liberetur, admodum neceſſe.

Hocce ad peragendum opus, ordo quantum poſſibile teneatur, tantum verò in, quantum extrà paroxyſmum obſervare, impoſſibile; Si enim à plethorâ, vel terrore ortum ducat, licet in paroxyſmo, conducit mox venæſectio; Si à nimiâ extravaſatione ſanguinis, vel humorum aliorum, leviter ſtipticis aliiſve medicamentis (cardiacis haud neglectis) pro humoribus variis variandis, quam primum foret ſiſtenda. Si à febribus malignis, peſtilentialibus, variolis vel morbillis aut ipſâ

ipſâ Peſte, ſpirituoſa (ſine ſpirituoſis enim vix aut ne vix quidem fieret refocillatio) ſed acidis ſanguinem quodammodò figentibus admixtis, conveniunt, ut & in aliis ejuſd. naturæ hujus mali cauſis.

Hiſce ergò, nominatis exceptis, conveniunt omnia ſpirituoſa, nervina, cardiaca vulgò nominata, àcria, & volatilia, nares quodammodò vellicantia, òlea ex radicibus, herbiſve vel floribus & partibus Animalium penetrantia, Aquæ vitæ compoſitæ; Anhaltina, Ant'apoplectica, vel Anti'epileptica; ut & Sal volatile oleoſum, mixtum cum ſpiritu ſalis armoniaci, additâ gutt. unâ alterâve olei cinamomi, ol. lavendulæ, vel Rutæ, Succini, aut tincturæ caſtorei (ſi adſit affectio præſertim Hypochondriaca) vel ſequens ſimiliſve puppa naribus admota

℞. flaved. cort. citr. 1[us] pomi.
fol. rutæ. M. ß.
garyophyll. contuſor. n°. viij.
cinamom. elect. ℥ß.
caſtor. ʒj.
aſſ. fœtid. ʒß.

includantur linteo, vino rhenano vetuſtiori, ſale volat. oleoſo, vel. aquâ Reginæ Hungar. (i. e ſpiritu florum roriſmarini) irroranda.

Internè licet in paroxyſmo liquida ſpirituoſa ſemper conveniunt (cautè tamen in illorum os infundendo) imprimis hujus ſimiliſve mixturæ cochlear unum aut alterum:

℞. aq. meliſſ. ℥ijß.
cort. pomor. Zinenſ. recent. ℥iß.
ſal volat. oleoſ. gtt. xxx.
ol. ſtillat. cinamom. gtt. iij.
confect. alkerm. (cum vel ſine Ambrâ pro viro vel fœminâ) ʒj.

Tincturæ

Tincturæ croc. ʒiß.
Julap. roſat. ℥ß. vel
Syrup rub. idæi. vel
florum caryophyll. ʒvj.
MS.

Vel vinum Rhenanum vetuſtius cum flavedine recentium corticum pomorum Zinæ vel Citri, cum pauco ſaccharo calefactum, cujus cochlear unum aut alterum, inſtillatis prius ſequentis mixturæ gtt. xx. vel xxx. calidè exhibeatur.

℞. ſal. vol. oleoſ. ʒij.
ol. cinamom.
macis ſtillat. ana. gtt. viij.
MS.

Sternutatoria naribus immiſſa vel inflata hic locum habent, capillorum evulſiones, frictiones, cucurbitulæ cum vel ſine ſcarificatione imprimis conducunt, ſi à morbis ſoporoſis originem traxerit ſyncope. Si verò dictis vel ſimilibus exhibitis ac ſternutatoriis immiſſis non excitetur patiens, lethalis plerumque exiſtit illa ſyncope.

§. 17.

Paroxyſmo arte vel ſpontè jam ſoluto, Curatio varianda pro cauſarum varietate; ut æger autem immediatè poſt paroxyſmum refocilletur, dicta in §. 16. in uſum revocanda, imprimis quoque panis aquâ vitæ Mathioli, vel vino hiſpanico, vel Rhenano vetuſtiori &c. irroratus ac tali modo comeſtus, quam maximè in uſu fiat, tanquam polychreſton corroborans medicamentum.

Hic ergò (ut à ſanguinis craſſioris & viſcidioris initium fiat curationis) omnia ſpirituoſa viſciditatemque attenuantia ac incidentia, ſanguini juſtam tenuitatem com-

comparatura conveniunt medicamenta; palmam tamen omnibus præripiunt ſale volatili tenuiſſimo, & tamen cardiacâ incidenti & ſpirituoſâ attenuanti vi prædita; uti Radix Angelicæ, Caryophillatæ, Fœniculi, Leviſtici, Helenii, Galangæ minoris, Acori; Folia Meliſſæ, Baſilici; flores Caryophyllorum; Cinamomum, Macis, multaque alia ſimplicia & ex illis omnibus præparata medicamenta, variâ formâ, ſed præſertim liquidâ, hâc vel ſimili:

℞ Rad. Angel.
    Caryophill. ana ʒiij.
    Fœnicul.
    Helen.
    Galang. minor. ana ʒij.
Fol. Meliſſ.
    Baſilic.
    Roriſmar. ana M. ß.
Fl. Caryophill. rubr.
    Perſic.
    Anthos
    Lavendul. ana p. j.
Cinamom. morſu elect. ℥ß.
Flaved. cort. Citr. rec.
        pomor. Zinenſ. rec.
Sem. Coriandr.
    Aniſ.
    Cardamom. min. ana ʒij.

Conciſa & pingui Minervâ contuſa indantur ſacculo, affundantur vini albi Gallici vel Hiſpanici pint. IV. arctiſſimè vaſe clauſo, ſtent in loco calido per 24. horas; bis terve in ſingulos dies ℥ij. vel iij. unicuique doſi inſtillatis ſalis volatilis oleoſi gtt. xxx. vel xxxx. exhibeantur.

Nec minoris momenti ſequens erit mixtura:

℞. Aq. Meliſſ. ℥iij.
Angelic. (aquâ ſimplici paratæ & moſchum redolentis)
Roriſmar. ana ℥j.
Cinamom. ʒvj.
Spir. Angel. (per vini ſpiritum parat.)
Carminat. Sylv. aná ℥iij.
Ol. cinamom. gutt. iij.
Sal. vol. oleoſ. ℈j.
Syr. pæon.
Rub. idæi. ana ʒiij.
Granor. kermes ʒij.
MS.

Capiat Patiens ſingulis horis vel citius cochlear unum alterumve.

Cui verò magis arridet electuarium, gratiſſimum & confortans ſequens eſto:

℞. conſ. Meliſſ.
Flor. anthos. ana ℥j.
Perſic. ℥ß.
Specier. aromat. roſat. ʒiij.
Cort. citr. cond.
Rad. eryng. cond. ana ℥ß.
Conf. alkermes. ʒjß.
Ol. cinamom. ſtill. gutt. jv.
Expreſſ. ex flaved. recent. pomor. Zinæ vel Citr. gutt. x.
Syrup. rub. Idæi.
Granor. kermes. ana q. ſ.
MS. F. Conditum.

De quo æger ſæpius de die ad Nucis Moſchatæ magnitudi-

gnitudinem ſumat ex præcedentis vel ſimilis mixturæ aut vini malvatici cochleari uno alterove.

§. 18.

Sanguinem verò ab acido quodam humore quaſi coagulatum vel ſaltem nimis incraſſatum aut in motu tardiorem attenuant, majoremque motum conciliant dicta medicamenta; imprimis terrea, quæ acidum concentrando temperant vel imbibunt, (ſale potius fixo quam volatili gaudentia) corallia nempè, oculi cancri, margaritæ, Antimonium diaphoreticum, C. C. ppt. Lapis Bezoar orientalis, occidentaliſve (vi acidum imbibente & cardiacâ gaudens, ut perhibent;) remediis nominatis cardiacis admiſceantur; quorum omnium formulæ apud Auctores paſſim occurrunt. Maſſâ ergò ſanguineâ hiſce modis temperatâ & inciſâ &c. ne tali ab humore viſcidiore aut acido, eædem in poſterum excitentur tragœdiæ, alvum laxantes & è corpore exturbantes medelæ Catharticæ (ſed cardiacis, tonumque ventriculi roborantibus adjunctis) conducunt; & quidem Hydragogæ vulgò dictæ; primum enim inter Hydragogas tenent locum gummata aceto vel aquâ deſtillatâ cardiacâ aliâve (pro hoc illove adjuncto ſymptomate) ſoluta; in formâ pilulari exhibita; quas inter ſequens ſimiliſve maſſa pilularis hic totam abſolvit paginam, utpote quæ ſimul acidum temperat, tenacia ac viſcoſa incidit & obſtructas aperit vias:

℞. Gumm. Sagapen.
Galban (in aq. cinamom. ſol. & inſpiſſ.) ana gr. xv.
Vitriol. martis ad albedinem calcinat. ℈j.
Reſin. jalapp.
Magiſter gumm. gott. ana ℈ß.
Mercurii ſublim. dulc. gr. vj.

Ol. Cinamom. ſtill.
Menth.
Macis. ana gutt. ij.
MS. F. Pilulæ N°. xx. deaurandæ vel pulvere cinamomi &c. inſpergendæ.
Aſſumat æger iv. vel v. ratione ſemper ætatis debilitatiſve habitâ, ut &, pro ut facilioris vel difficilioris ſit purgationis; bis terve in ſeptimanâ, veculo convenienti.

§. 19.

Hydropicis & provectioris ætatis hominibus hoc malo correptis, præter narrata, blanda volatilia, & ſpirituoſa proſunt cardiaca (Cathartica enim, imprimis vehementiora non ità conveniunt, quia ſeniores, ſi malo hoc corripiantur, admodum ſunt debiles, & purgationibus fierent debiliores; nec Hydropicis, quod, ſi Leypothymiis afficiantur, ad ſummum pervenerit Hydrops, imò lethalis & inſanabilis judicatur) & confortantia ſolummodò medicamenta, nec non cibi εὔχυμοι & εὔπεπτοι aromaticis cardiacis conditi. Præter verò jam laudata alimenta ac medicamenta, haud minus ſuam meretur laudem radix Ninſin, vel in ſubſtantiâ, tincturâ, vel in infuſo ex aquâ ferventi, benè anteà coctâ (more Herbæ Thee) nec non ſequenti in formâ data (nobis à Viro Clariſſimo, Doctiſſimo, D. D. Paulo Herman, Botanices Profeſſore Lugdunenſi, communicatâ.)

℞. Rad. Ninſin. ʒß.
Confect. Alkermes. ℈ß.
Ambr. gryſ. gr. v. (ſolut. in oleo aurantiorum)
Syrup. roſacei. q. ſ.
M. F. Bolus (majoris licet prætii) ſummè tamen confortans, aliquoties iterandus.

§. 20.

Syncope ab evacuatione vel humorum quorundam extravaſatione nimiâ orta, hincque ſanguinis ſpirituumque &c. defectus, evacuatione mox & prius cohibitâ, ut §. 16. diximus, cardiacis, humori evacuato & ſymptomati ſpecificis admixtis, vim quodammodò adſtringentem poſt ſe relinquentibus curanda venit; hiſce uſurpatis, per levia & minori primò doſi opiata, vel prioribus admixta concilietur ſomnus, qui omnes (ex opinione D. Sennerti & Aliorum) evacuationes ſimul ſiſtit, & homines mirè refocillat.

A frigidâ cerebri ſi intemperie, in ſanguinis viſcidioris & craſſioris curatione tradita (additis adhucdum ſpirituoſioribus hoc in caſu ſpecificis) locum habent medicamenta; tali enim à cauſâ, ſi ortum ducat malum, plerumque morbus concomitatur ſoporoſus, quo in caſu dicta proſunt.

A pure craſſiori, lymphâ in capite condenſatâ, abſceſſu cerebri ſi oriatur; incidentia, attenuantia ſæpius jam nominata, admixtis cardiacis, & diureticis (quoniam in abſceſſu cerebri pus per urinam redditum, & diuretica illis profuiſſe, unanimiter teſtantur Practici) hoc in caſu ſpecificis, adhibeantur.

A nimio ſudore & adjunctâ inædiâ, ſi ortum duxerit, jam toties memorati cibi, pomis cydoniis &c. conditi, ac medicamenta minus ſpirituoſa cardiaca, coralliis rubris præparatis, ſyrupo myrtino, portulacâ, acetoſâ, &c. additis, proſunt; ulteriorem enim ſudorum eruptionem ſimul impediendo ſpiritus refocillantur, vireſque reſtaurantur.

Narcotica nimiâ in quantitate adhibita ſi fuerint, hujus mali cauſa, medicamenta ant'apoplectica, à ſopore & ſomno excitantia; à nimiâ ſi repletione, evacuan-

cuantia; à flatibus & vaporibus, flatus diſcutientia, eoſque diſſipantia, nec non Antihyſterica.

Calvariæ fragmenta oſſea ex vulnere aut caſu, meninges irritantia, vel nimis cerebri ſubſtantiamc omprimentia ſi ſint in cauſâ, quantum poſſibile trepano &c. amoveantur, (ſi vires ferant) ut ſymptomata tollantur; ſicque liberior ſpirituum generatio & illorum in nervos influxus concilietur.

§. 21.

Ultimò ſequitur nimia ſanguinis tenuitas, tanquam primaria etiam *Syncopes* cauſa, ab acri corroſivo in peſte, febribus peſtilentialibus &c. exorta, curatu difficillima, (ſi curabilis nominarier liceret); nam ut in prognoſi diximus; ſi illo tempore invadat hocce malum, nullus de morte appropinquante dubitaret unquam Medicus; ſpirituoſioribus cui liceret uti, quod ſanguis fieret fluidior? verumtamen ſine ſpirituoſis adhibitis à *Syncope* ad vitam nullus daretur regreſſus; hiſce ergò perpenſis ſpirituoſa blandiora, acidis tamen haud neglectis, conducere autumo; ut pariter ſanguis ſpiritibus tum temporis orbatus, fieret tamen ſpirituoſior, ac κρᾶσιν ſuam acquireret naturalem; ut ſunt radices Petaſitidis, Angelicæ; folia Scordii, Rutæ, & ſimilia ſimplicia, imprimis plura parata ex iis medicamenta cum aceto deſtillato, aliove ſanguinem quodammodò incraſſante liquore, & alexipharmaca veneno reſiſtentia; qualia ſunt, aqua prophylactica Sylvii, Alexipharmaca Amſtelod. &c. exemplo tamen L. B. ſit ſequens mixtura.

℞. aq. Meliſſ.
Portulac. ana. ℥iij.
Cinamom. (cum aq. roſar. deſtill.)
Alexipharmac. Amſtelod.

pro-

prophylact. D. Sylv. ana. ℥ß.
confect. Hyacinthor. ʒij.
corall. rubr. ppt. ℥ß.
Syr. limon. vel
portulac. ℥vj.
MS.
capiat æger ſingulis horæ quadrantibus cochlear j. aut alterum; *periculum enim in morâ.*

Medicamenta plura ſimplicia aut compoſita legere, ſi quis deſideret, adeat D. D. F. De Le Boe Sylvii, D. Diemerbroeck, vel D. Pauli Barbette, tractatus de peſte, lectu reverà digniſſimos.

§. 22.

Ab aliis porrò morbis, ſymptomatibus, internis externiſve cauſis, brevitatis ergò hiſce haud ſubjungendis, originem ſi trahat prædictum Malum, diverſæ, unicuiq. affectui, ſpecificis additis, præſcribendæ forent medelæ.

Morbum ergò difficillimum, graviſſimum, mihi explicandum, pro ingenii & judicii modulo ad finem perductum videtis L. B.; errores igitur Veſter condonet Amor.

Faxit Deus: O. M. ut Omnia in Æterni Nominis Sui Gloriam & Proximi vergant Salutem.

F I N I S.

ANNEXA.

I.

Fœtum ex ovo produci, veritati conſentaneum;

II.

Non aquâ, vel lymphâ, ſed ſolummodò ſanguine materno nutriri,

III.

Nec reſpiratione in Utero innatantem gaudere, affirmo.

IV.

Cum Hippocrate *Aph. imprimis 52. Sect. v. Commercium Mammarum cum fœtu, uteroque dari, haud nego.*

V.

Qualis ſanguinis ſit Circulatio, celerior tardiorve Cordis indicat motus.

VI.

Diaphoreticorum omnium vis explicatu difficillima.

VII.

Plethoram, ſangninis licet laudabilis, aliquandò dari, haud tantum experientia, ſed & ipſa dictat ratio.